



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... à Pascha usque || ad Aduentum,|| ...

Eck, Johannes

1534

VD16 E 292

Dom. X. post pent. Euange. Homo q[ui]da[m] erat diues. Lu. 16. Homiliæ
duæ

urn:nbn:de:hbz:466:1-35259

47^o
DOMINICA DECIMA

POST FESTVM PENTECOSTES

Euangelium Lucae XVI.



In illo tempore dixit
Iesus discipulis suis:
Homo quidam erat d
ues q̄ habebat uillicū,
& hic diffamatus est a
pud illū, quasi dissipaf-
set bona illius. Et uoca-
uit illū & ait illi: Quid
hoc audio de te? Redde
rationē uillicatiōis tuę.
iam enim nō poteris uil-

Matt. 25

licare. Ait autem uillicus intra se: Quid faciam,
quia dominus meus aufert à me uillicationem?
Fodere non ualeo, mendicare erubesco. Scio
quid faciam, ut cum amotus fuero à uillicatio-
ne, recipiant me in domos suas. Conuocatis ita-
que singulis debitoribus domini sui, dicebat pri-
mo: Quantum debes domino meo? At ille di-
xit: Centum cados olei. Dixitq; illi: Accipe cau-
tionem tuam, & sede cito, scribe quinquaginta.
Deinde alio dixit: Tu uero quātum debes? Qui
ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe literas
tuas, & scribe octoginta. Et laudauit dominus
uillicum iniquitatis quia prudēter fecisset: quia

filij huius seculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt. Et ego uobis dico: Facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula:

HOMILIA I.

Nihil est quo saluari possimus, dilectissimi in Christo fratres, nisi per misericordiam dei, id etiam confitente Augustino cum ait: Si remota misericordia iudicabitur, quid sunt nostra merita nisi magna peccata: atq; hoc est quod ait Paulus: Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum magnam misericordiam suam saluos nos fecit. Vbiunq; enim non se immiscet misericordia iustitiæ diuinæ, clamare nos oportet cum Dauide: Non intres in iudicium cum seruo tuo; quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Quando ira; tantum in misericordia dei positum est, imò & felicitas nostra omnis inde pendet, hic nos dominus admonet atq; docet, quo tandem modo misericordiam conserui deamus: sic nimirum, cum etiam misericordiam exhibemus proximis nostris, sicut parabola illa manifeste nos edocet, cum ait dominus: Homo quidam erat diues. At quis ille diues est nisi dominus Iesus, qui diues est in celo & in terra: diues inquam, quia plenus gratia & ueritate, de cuius plenitudine omnes accepimus. Diues in miserationibus, ut ait Paulus: siquidem in ipso omnes thesauri sapientiæ dei absconditi sunt. In omnibus & erga omnes est ille diues, qui inuocant ipsum. Et usq; adeo ille quidem est diues, ut quotidie tot hominum animantiuq; millia pauerit: hæcenus sex millib; annorum; neq; ei huc usq; defecerit quicquam, ut merito dicatur omnipotens, ditissimus & sufficientissimus, recteq; celebrarit eum Dauid, dicens: Gloria & diuitiæ in domo eius. Vere enim uertus Salomon CHRISTVS est, de quo legimus, quia magnificatus est in diuitijs & gloria super omnes reges totius mundi.

Augustin.

Tit. 5

Psalm. 172

Johan. 1

Ephe. 2

Coloss. 2

Roma. 10

Psalm. 111

2. Para. 9:

¶ Homo hic diues uillicum habuit, qui quemlibet designat Christianum, qui in baptismo dispensationem suscepit sui ipsius & proximi. Neque enim cogitet quisquam se soli sibi uiuere, sed curam habere debere etiam proximi sui, quem adiuuet doctrina, exemplo & externa subministracione, quæ uere pia uillicatio est. Quando autem nos uillici tantum sumus, cogitemus nos bonorum nostrorum dominos ueros non esse, neque quicumque nos habere, quod iusto titulo uendicemus nobis, sed omnium nos dispensatores esse tantum & uillicos. domini enim est terra & plenitudo eius, orbis terræ & uniuersi qui habitant in eo. Ecce dominum uniuersorum, & cuius omnia sunt propria, quorum nos uisum uix exiguum capimus. Hinc, inquit Beda, ex hoc dispensatoris uocabulo discimus, eos quos qui pecunias habent, earum dominos non esse habendos, sed tantumquam alieni boni dispensatores. Quod si igitur nos quoque uillici huius exemplo cogitauerimus, breui uillicationem a nobis auferendam, nosque coram iustissimo iudice apparituros de reddenda ratione, minus superbiremus, minus res humanarum & temporalium cupiditate teneremur, plus conaremur parare nobis amicos illius uitæ, quam hic diuitias corraderere & aurum. Opinio quædam, ait Chrysostomus, erronea adgenerata mortalibus, augeat crimina, minuit bona. Ea uero est, opinari quod ea quæcumque possideamus in usu uitæ, possideamus ut domini, & ideo etiam oportune ea apprehendimus, tanquam bona præcipua, cum tamen contrario hic modo agatur. neque enim possumus in hunc mundum ut domestici, sed aduenæ & peregrini. Tu itaque dispensatorem esse te agnosce & uillicum alienorum bonorum, tantumque temporalis fructus participem. Abiice fastum & arrogantiam diuitiarum, atque modestiam serua dispensatoris huius.

2. ¶ Quando igitur uillici & dispensatores Christi sumus omnes, sicut de se & sui similibus, ait Paulus: Sic nos existimet homo, ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum dei: quisquis iam diuitiis suis abutitur contra summi domini uoluntatem, is utique de abusu suo adensabitur, sicut hic uillicus diffamatus erat, quasi qui dissipasset bona domini sui. Porro Glossa quædam hic sic ait: Dis-

Uillici sumus.

Psalm. 23

Beda.

Chrysost.

1. Corin. 4

Glossa.

si pat bona temporalia, aliena acquirendo, & propria illicita exponendo, & bona propria male retinendo. Ita nos quoq; coram deo adusamur a sanctis angelis, qui semper uident faciem patris caelestis, & omnia opera nostra adnunciā. **Matth. 18**
 Quis autem ex omnium hominum numero est, qui tam sit immunis ab omni cogitatione peccati, ut dicere queat, se non esse diffamatum apud deum? quando omnes nos in deo offendimus, adeo ut si dixerimus quod peccatum nō habeamus, nos ipsos mendacij arguamus, & **Jacobi. 2**
 ueritas in nobis sit nulla. **2. Joh. 8**

¶ Porro dominus ille & pater familiās iustus est, neq; plane fidem præbet communi famæ, sed quod prædicabant omnes, id ipsum in uillico quoq; experiri tentat. Quā obrem uocat eum ad se, & ait illi: Redde rationem uillicationis tuæ. iam enim amplius non poteris mihi uillicare. Neq; dissimili ratione fecit etiam dominus in Sodomā & Gomorrhā, quando dixit: Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus, & peccatum eorum aggravatum est nimis. descendam & uidebo, utrum clamorem qui uenit ad me, opere compleuerint, an non est ita ut sciam. Quod utiq; intelligi non debet eo modo, quasi quicquam lateat deum, qui omniscius est, sed tantum loquitur scriptura de deo more humano, quoniam prius uoluit probare quā iudicare. dumq; angelos ille misit in Sodomam ad cognoscenda peccata incolarum, exemplum **Gene. 18**
 dedit iudicibus, ne nimium sint in uindicta uehementes, sed bene & exacte prius dispiciant omnia, deliberent an ita ut narratur sit factum, quemadmodum Nicodemus inquit: Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius au **Johan. 7**
 dierit ab ipso, & cognouerit quid faciat?

¶ Atq; hoc est qd hic pater familiās dixit uillico: Quid hoc audio de te? Vocatio hæc uarijs fit modis, quoniam in sæpe & multum uocat deus: iam horrorem incutiendo damnationis æternæ, iam immittendo tribulatiōes, pericula & uaria discrimina uitæ. Quotidie enim, inq; **Chrysost.**
 solemus, talia nobis per effectus clamat dñs, ostendens fruente sospirare, priusq; uesperascit exanimem, & alium inter prandendū expirantem.
 Moueamur hunc nos talib; exēplis, & de reddēda rōne eo

Psalm. 33
Prove. 8

gitemus, expectemusq; subinde dicitur nobis dominū,
Redde rationem uillicationis tuæ. Vocat etiam nos domi-
nus per prædicatores, doctores, & scripturam ipsam, quā-
do dicitur: Venite fili, audite me, timorem domini doce-
bo uos. & iterum: Ad uos o uiri clamito, & uox mea ad fi-
lios hominum. Sicq; quotidie nobiscum loquitur deus p
prophetas & apostolos, loquitur nobis in euangelio, lo-
quitur & per doctores & prædicatores in ipsa conscientia
nostra. Vis in modico saltem uidere, quomodo uillicum
suum uocat deus? Ecce iam olim in paradiso dispensatorē
cōstituit dominus Adam, ut custodiret & excoleret illud,

Gene. 2.3

Cum uero præuaricatus esset iste in uillicatione sua, uo-
cauit eum dominus, & ait: Adam, ubi es? Et abscondit ille
se, quamuis frustra: quoniam sic quoq; reddere eum oportuit
uillicationis suæ rationem, quam redditurus, primiti
conabatur omnem culpam transferre in Eua, & Eua in
serpentem, neq; Adam tamen, neq; Eua immunis à culpa
fuit. uterq; etiam ideo à uillicatione depositus est atque
detrusus in hanc miserię uallem, cum omni sua posterita-
te, in qua nos etiam iustissimo iudice uolente adhuc misere
languemus.

3. ¶ **Ait** itaq; ad uillicum dominus. Quid hoc audio
de te? Sic, sic inquam unumquemque peccatorem corripit
dñs, dñ iste malū uel cogitat, uel loquitur, uel facit, maleq;
uiuere. statim enim tunc ait ille: Quid hoc audio de te? Sic
Sapient. 6 nanc; & Sapiens inquit: Data est à domino potestas nobis
& uirtus ab altissimo, qui interrogabit opera uestra, & co-
gitationes scrutabitur. Deinceps ergo duo proponit ei
dominus: alterum, ut reddat rationem uillicationis: alte-
rum, quoniam porro non poterit uillicare, quod utrumq;
si homo ex animo & mentis adfectu recogitet, multa eni
taret utiq; uitia, peccata plurima caueret. Ecce enim expē-
de quod dominus omnipotens ille & immensus tibi dicit,
Redde rationem uillicationis tuæ. Scias te non summa-
riam rationem, sed particularem de maximis & mini-
mis redditurum: atq; adeo de uerbis etiam ociosis, ut ait
dominus: De omni uerbo ocioso, quod locuti fuerint ho-
Matth. 12 mines, reddent rationem in die iudicij. Proinde quicquid
uel ipse tecum, uel coram proximo tuo operaris, quicquid

in animo tuo cogitas, quodcumq; uerbum loqueris, quicquid pro uoluptate & animi tui uoto, uel audis uel uides, fac rationem reddas uillicationis. dicit enim tibi dominus: **Ecce bona mea dissipas, isdem abuteris, non poteris ergo amplius uillicare, prope iam adest finis, tēpus in stat iudicij & reddendæ rationis, quando timendum cuiq; est, ne sibi dicat dominus: Expellam te de statione tua, & de ministerio tuo deponam te. Recordare homo omnium operum tuorum & cogitationum, redditurus enim es rationem omnium eorum, quæ iam hodie deliquisti cogitando, loquendo & operando, atq; per omnem uitam tuam. Redde inquam rationem, quoniam amplius non poteris uillicare, Non est tamē quod cogites, deum cuiquam uillicationem in hac uita auferre. siquidem quamdiu quis hic uiuit, penitentiam agere potest de peccatis suis, domino que effici uillicus acceptus. Itaq; de morte intelligendum hoc est, quoniam post mortem nullus erit meritis locus, & lignum quocumq; ceciderit, ibi iacet, sicut iam superius parte prima ex sacrarum literarum testimonio confirmauimus aduersus Lutherum. Et quamuis uerbū hoc in uniuersum ad omnes pertinet homines, tamē ad omnes mūdi huius conditiones referrī potest, quomodo quilibet agricola aut ciuis nobilis aut iudex, duces & principes reddere rationem iubentur & debent, religiosi itidem, presbyteri, parochi, prælati, episcopi, sicut hic de singulis ordinibus proponi possent quæstiones quas unicuiq; in medium adferet de^o, qui nobis q̄q; gratiā suā donare dignetur in hac ratione rei & culpabiles inueniamur. res enim hic nobis agitur, uel de inferis, uel certe de purgatorio. **Ecce** hanc expositionem ueram satis testantur ipsa Christi uerba, quum ait: **Regnum cælorum simile est homini regi, qui uoluit cum fernis suis ponere rationem, quam omnes nos facere tenemur.****

**Redderā
tionem.**

Mat. 25

**Ecci. 11
fol. ca. 9**

Matth. 25

Bernar.

Ecci. 7

4. ¶ **Villicus autem iste dixit intra se: Quid faciam, quia dominus meus aufert a me uillicationē? Fodere non ualeo, mendicare erubescō. Felix qui finem cogitat. felix inquam qui quotidie cogitat se moriturum. melior enim est finis orationis quam principium. & quoniā prohi imitantur in hac uita, perperuo uiuent in throno cælesti.**

HH

Atq; in hac parte prudenter egit uillicus, quod finem diligenter considerauit. Quomodo ait ille:

Gregori⁹. Quicquid agis, prudenter agas, & respice finem. Siquidem & iacula praeuisa minus feriunt, sed & nescit stultus quod ad uincula trahat, donec trāsfigat sagitta tecur ei⁹.
Proue. 7. Deliberatio porro uillici in duobus consistit, quorum neutrum sibi erat acceptabile: alterum, quia fodere non posset: alterum, quod emendicato alere quidem se posset, sed non sine grandi pudore. Mystico tamen sensu hoc Beda sic exponit: Ablata uillicatione, fodere non ualemus, quia finita hac uita, in qua tantum licet operari, nequaquam ultra bona conuersationis fructum ligone deuotae compositionis licet inquirere. Mendicare, confusionis est, illo scilicet pessimo genere medicandi, quo uirgines illae fatuae medicasse feruntur.

Matth. 25 Huiusmodi mendicis nil datur, noluit enim, ait Salomon, arare piger propter frigus, medicabit ergo in aestate, & nemo dabit illi. Quisquis hic torpet ignauus, neque quicquam uult boni operari, friget utique dum feruore caret charitatis. Quilibet autem uictum suum & uitam induet, ut amictum, quem nec exuere poterit, neque permutare. Solerter itaque prudens iste uillicus hoc expendit, se fodere non posse amorem a uillicatione: quoniam post hanc uitam non poterit amplius uel ieiunare, uel elemosinas largiri, uel inuigilare orationibus. Sed & mendicare illic uitio dabitur, quod hic in terris honestissimum est. Pium est enim clamare ad uirginem matrem, sancta Maria, ora pro nobis. Omnes sancti, pro nobis orate deum.

Luc. 16 Illic autem non sic, quoniam & diues iste euangelicus, cum micas panis, quae dabantur canibus, hic Lazarus negasset, frustra illic petijt ex Abraam mitti sibi Lazarum. quidnam aliud audiuit, nisi istud: Fili, recordare quia tu recepisti bona in uita tua, & Lazarus similiter mala, nunc ille consolatur, tu autem torqueris. Ecce quomodo confusus est medicus iste, subito ex diuite factus miserimus. Aut quis non merito erubescat mendicare, unde quis perpetuae subiacet inopiae & egestatis: siquidem eo locorum constituitur nihil agit qui mendicat, bona perit aliena, quisquis non se cum adfert propria. Id ipsum Paulus quoque docuit, admonens

nos opera nostra bona differre nō debere, uel post mortē usq; Dum tempus, inquit, habemus, operemur bonum ad *Sala. 6.* omnes. sic enim fiet, ut in reddenda ratione melius habeamus coram deo in hora mortis nostræ, & in iudicio extremo, id quod nobis Christus ipse concedat, Amen.

POSTERIOR HOMILIA

eiusdem Euangelij.

Paraboli aliquot ante hoc nostrum euangelium docuerat dominus, salutem hominum penitentium deo angelisque suis magno esse gaudio. Nunc autem docere adgreditur, quomodo qualesq; se gerere debeant peccatores, qui conuerti uelint ad dominum, ut rursus recipiantur in consortium uitæ æternæ, qd maxime fit per eleemosynā, quæ datur pauperibus, q̄s amicos nobis facere iubemur, instar huius uillici diffamati coram domino de rebus suis dissipatis. unde cogitauit intra se, ne mendicaret: Scio quid factam, ut cum amorus fuero, recipiant me in domos suas. Ecce prudenter ille hic fecit, deliberās de eo quod ageret, quomodo & Sapiens iubet, consulto nos omnia facere debere. sic enim futurum, ut facti nosmet non peniteat. Salubre itaq; hic sibi consilium adinuenit, quō modicum exponeret & reciperet multum. ait, *Eccl. 3a* Ut recipiāt me in domos suas: puta, quibus ego bene faciā.

¶ Sic Ionathas petiit Dauidem, si uiueret ut misericordiam secum faceret domini. Sic Raguel optauit Thobie: *2. Reg. 20. Thobi. 7* Dominus deus tecum sit fili mi, optimi enim uiri filius es qui dat eleemosynam.

¶ Sic quisq; secum deliberet, dum cogitat de morte sua, qua uillicatio sibi auferetur, ut antea pondus & sarcinā peccatorum abijciat, remittat omnibus a quibus sit offensus, magna eleemosyna magnos multosque sibi comparat amicos, qui testimonium sibi tribuant coram iudice, non uerbis, sed bonorum operum declaratione. Et in hoc consilio exequendo nihil moratus est uillicus, neque (quod ferē fit in Imperij comitijs) bene consuluit tantū, & nihil effecit bonorum. Vocauit potius ad se omnes debitores domini sui, & primo quidem dixit: *Quantum*

HH ij

debes domino meo? At ille dixit: **Centum cados olei.** Qui liber parochus, & cui animarum cura demandata est, id ipsum quoque faciat. conuocet in quadagesima debitores domini sui, singulosque etiam in priuata confessione scrutetur, dicat unicuique: **Quantum debes domino meo? Quid peccasti?** Narra si quid habes ut iustificeris, sic & Iosue dixit ad Achan: **Fili, da gloriam deo, confitere peccata tua, & ostende mihi quid peccasti.** Neque uero dei tantummodo, sed & proximorum nostrorum sumus debitores: deo qui dem debemus tanquam conditori redemptorisque nostro, unde bona omnia habemus caelestia, temporalia & corporalia, dicente Paulo: **Quid habes quod non accepisti?** Sanus es, diues, formosus, prudens, doctus, nobilis, aut dominus? omnia haec ex deo habes. unde & hic quidam per oleum intelligunt spiritualia dona animae, puta baptizatum esse, Christum induisse per fidem, sperare uitam aeternam, penitere de peccatis. Omne id a deo. oleum enim hoc est, ex quo in nobis ardet lumen diuinum, & animus noster illustratur lumine uero, quod omnes homines illuminat.

¶ Quando autem primus hic cados olei dicitur debuisse centum, centenarius numerus perfectionem designat (non loquimur mathematice, quia sic esset numerus abundans, cum omnes partes aliquotae faciunt 117, sed uelut ueteres Theologi loquuti sunt, quia in centenario fit transitus a laeva ad dextram, inquit Hieronymus in abaco manuali, eum modum supputandi per articulos digitorum, descripsit post ueteres Beda.) Quum itaque spiritualia bona tanto corporalibus sint potiora, quanto praestat anima corpore, ut ait dominus, recte dona spiritualia numerus hic significat centenarius. Ex his autem quae deo debemus, magna pars ad proximum nostrum pertinet, quem oportebat bonis exemplis, moribus & doctrina sana per nos aedificatum, sicut decet nos facere. Hic ergo uillicus remittit quidem, quantum sibi cum proximo suo intercedit, sed debitum dei adhuc manet. Quod autem, inquit Augustinus, de centum cadis olei, quinquaginta scribi fecit a debitore, & de centum coris tritici octoginta, ad nihil aliud ualere arbitror, nisi ut ea quae similiter atque in Leuitas Iudaeus quisque operatur, ut in Christi ecclesia abutatur.

Isaie. 43
Iosu. 7

1. Corin. 4

Johan. 1

Hieronym.

Beda.

Luce. 12

De que.
Euan. 11. 2
cap. 34

det iustitia eius super scribarum & pharisæorum: ut cum illi decimas darent, Christiani dimidias dent: sicut non de fructibus, sed de ipsis bonis suis fecit Zachæus: aut ut ad minimum decimas det geminas, sicq; superet Iudæos. Verum hoc non accipitis, neque auditis uos libenter, scio, quum uix semel decimas deris animo & adfectu in regno, eo quod damnatam & diffidentem de deo istam concepistis (non omnes uolo uos, sed bonam tamen partem intelligo) opinionem, quicquid cultu diuino, templis & eleemosynis impenditis, id omne non perire tantum, sed uos quoque eo minus habituros creditis. Contrarium autem iam supra edocti estis. Beda deinceps hoc ad solam refert eleemosynam, inquit. Nisi forte quis simpliciter accipiendum putet, quod omnis qui indigentiam cuiuslibet pauperis sanctorum subleuat, uel ex dimidia, uel ex quinta parte, certa suæ misericordiæ mercede sit donandus.

Exodi. 22
Luce. 19
Leuit. 27

De eleemosyna.
Beda.

¶ Equidem aliam adhuc inuenio expositionem, eamque ferè huiusmodi: Quod qui cados olei centum debet, mensuram significet misericordiæ, quam sibi homo retinet & non pauperibus erogat. Atque horum debitorum plurimi sunt in mundo, diuites & opulenti, crassi & obesi mercatores, prelati, cœnobija quoq; multis bonis dotata, in quibus multi sunt, qui immisericordes, nihil adiuuant pauperes, neque cogitant quod de bonis ecclesiasticis scriptum est: Summus sacerdos ostendit deposita ad uictualia uiduarum & pupillorū, quædam uero esse Hyrcani Thobriæ uiri ualde eminentis. Vere autem sic res habet, quod quamuis omnes immites durum subibunt in die nouissimo iudicium, tamen durius tractabuntur adhuc & inclementius, qui ex spiritualibus immisericordes sunt dare eleemosynam. Atque hoc est quod erat animus dicere, cados centum significare debitum istud. Ait autem uillicus: Accipe cautionem tuam, & sede. Quod etiam temere dictum non est, quoniam quilibet peccator accipere debet cautionem suam. Quæ quid obsecro aliud est, quam ipsa conscientia nostra, præter quam nulla alia certitudine indiget deus, sicut Paulus inquit, gentibus testimonium dedit ipsam eorum conscientiam. Cautionem hanc protulit

1. Mach. 3

Abbatibus
immiseri
cordes,
taceo de
tyranis.

Roma. 2

HH ij

etiam Sapiens, cum diceret: **Conscientia tua scit**, quoniam
 am sæpe alijs hominibus male locutus es. **Cautio** nem
 hanc omnes sumere debemus in manus tempore quadra
 gesimæ, cum confessuri sumus. **Sequitur**, & sede. **Ut maxi**
 me aliàs, ita hic quoq; potissimum mora sua cuiq; noci
 ua est. sic enim & Sapiens iubet, nos cunctari non debere
 conuerti ad dominum. Subdit, & scribe quinquaginta, quod
 quid putas esse aliud, quàm ipsam peccatorum remissionem?

Leuiti. 25

Quinquagesimus enim annus iubileus est, sicut dixit domi
 nus: Numerabis tibi septem hebdomadas annorum, id
 est, septies septem, quæ simul faciunt annos quadraginta
 nouem, & clanges buccina mense septimo, decima die me
 sis propiciationis tempore, in uniuersa terra uestra. **San**
 ctificabisq; annum quinquagesimum, & uocabis remissionem
 cunctis habitatoribus terræ tuæ. ipse est enim iubileus.

Atq; hinc promanauit illud, quod annus iubileus etiam in ec
 clesia obseruatus est ex quinquagesimo in quinquagesimum.
 tantisper dum terra malos homines nunc educat atq; pu
 fillos, minusq; longæ uos, res translata est ad annum ui
 gesimum quintum. Simili modo de remissione frumen
 ti dicere potes.

Theoph.

3. ¶ Id omne cum innotuisset domino, laudauit ille
 uillicum iniquitatis quod prudenter egisset. Non tamen lau
 dauit in eo dominus infidelitatem, qua deceperat ipsum,
 sed prouidentiam futurorum. Atq; hæc illa regula est quæ
 ex Chrysostomo supra admonuimus, & hic quoq; habet
 in Theophylacto, cum ait. **Omnia parabola oblique** & fi
 gurato modo, rerum quarundam naturam manifestat,
 non per omnia rebus illis assimilata, propter quas assum
 pra est. **Sequitur hinc alia regula**, non requiri in parabola,
 ut omnes illius partes necessarium sit curiosius indaga
 re, sed quatenus apparent proposito utiles & fini conue
 nientes. **finis autem huius parabole est**, per elemosy
 nam amicos sibi comparare ad promerendam uitam æter
 nam. Si quis autem uellet hic unum hoc considerare, quod uilli
 cus iste dominum suum improbe decepit, ipsiusq; bona a
 lijs remisit, quid hoc foret aliud, quàm semitam sterne ad
 coruos & crucem malam? **Voluit .n. nos hic docere dominus**
 ut diuitias nobis à deo datas, ultro impendamus pauperi.

bus, q̄s nobis per illas cōparemus amicos. **Quid multa?** laudauit, inquit Beda, dominus uillicū, q̄ sibi prospexit in futurum, sed nō omnia debemus ad imitandum sumere. Nō enim domino est facienda fraus, ut eleemosynas inde factamus. sicuti neq; in uniuersum facienda sunt mala, ut eueniant bona. Honorandus siquidem & colendus deus est ex propria substantia, neq; illi placet uel sacrificium, uel eleemosyna ex usura & bonis male partis. hoc quidē uult dominus, ut bona male adq̄sita, ijs q̄ sunt restituantur.

Scda.
Augustin.

Roma. 2
Droue. 3

¶ Errant igitur usurarij nostri, qui ubi diu hominibus egregie imposuerint, malisq; cōtractibus eos deceperint, modicumq; frumētū, qui aliās ueneat aureis duobus, ad par uulam dilationem uendiderint tribus. Quibus imposturis accedit hæc noua, q̄ si q̄s pauperculus pannū aut aliqd simile emptum uelit, cuius precii statim dissoluere nequeat, cogatur diuiti uendere auenā, quæ nondum creuerit dimidiato precio, quæ usura certa est & indubitata, carius uel uilius propter anticipationē uel expectationē.

Locus notabilis.

Sūt itius generis & duriores etiā contractus innumeri, quibus pauperes à diuitibus ad ipsum sanguinē & intimas ossiū medullas usq; laniant, corroduuntur, deuorant. Cumq; sic belluli & obesuli diuites decem millia aureoꝝ undecunq; per fas & nefas corraferint, uidentur sibi deū egregie cōciliasse, si crucifixi imaginem, aut montē oliueti in monasterio depinxerint & erexerint, uel ruinosam antiqui patrietis macerīē sanctorum imagunculis collini curārint.

Reconciliatio scene rarorū cū deo.

Non sic autē, nō sic, nihil proderunt hæc uobis. Aut ad eō ne uultis uos huic adcomodare uillico, qui nō ob iniquitatem, sed prouidentiam collaudatur? Nō absimile est, qd̄ alibi dominus iudicem ciuitatis unius malū, quem uidua inuocabat, cōparat iudici æterno deo nostro, non in iniquitate, sed quia ad instantiā uiduæ pronunciauit illi ius & æquitatē. Sicq; p̄ces iustorum etiā uindictam clamanti um exaudit dominus. Constat igitur, ut tandem finiamus, parabolas nō ex omnibus suis partibus usurpari debere, sed quo ad finē tantū, qui hic est prouidēria, nō iniquitas: sequitur, filij huius seculi prudentiores sunt in generatione sua filij lucis, filios huius seculi dicit eos, qui laudant omnia quæ in terra lucrosa sunt, atque ñ sapientiores

Lucas

Theoph.

longe sunt & diligentiores, quàm qui spirituales sunt. idque prohdolor plus quàm uellemus experimur in his periculosis temporibus, quibus omnes penè homines diuitijs inhiant, honoribus incumbunt, ut qui maxime. Qui autem animarum curam, salutem & ædificationem promouere deberent, isti alium & (quod aiunt) in utranque aurem dormiunt. Aut quàm curiosi & expediti sunt neo christiani in hæresibus suis, in dispergendis libellis & ueneno suo diffundendo. Vicissim catholicorum in ueritate & integritate fidei diligentia tanta, studiumq; simile nullum est. filij enim huius seculi ij sunt, de quibus Baruch ait: Filij Agar qui exquisierunt prudentiam, quæ de terra est, negociatores terræ. Audiant, ait Beda, sapietes huius seculi, ut stultam sapientiam deserant, quos dominus nõ uere prudentes, sed in generatione sua prudentes esse commemorat, de quibus dicit propheta: **Vt** uobis qui sapientes estis in oculis uestris, & coram uobismetipsis prudentes. **Contra** autem, amatores uitæ æternæ, filios lucis appellat, sicut enim quisq; facit opera, ita & filius appellatur, non secus ac mali filij perditionis, & boni filij regni dicuntur.

**Catholici
negligen-
tiores he-
reticis.**

Bar. 3

Beda.

Isaig. 5

Matth. 5

4. ¶ **Concludit** itaq; dominus, inquires: **Et ego dico** uobis, facite uobis amicos de mammona iniquitatis. Diuitias mammonam iniquitatis uocat, non quod ille in peccato semper (quamuis id frequenter eueniat) acquirantur, sed propter consequentiam: quia plerumq; non sine peccato retinentur, magnæq; fiunt multorum peccatorum causæ.

Beda.

Vere sollicitæ tu causa pecunia uitæ es.

Prudenti.

Per te immaturum mortis adimus iter.

pecunia.

Pudor per aurum soluitur, uiolat auro integritas, pax occidit, fides perit, leges & ipsæ intercidunt. **An** qd aliud est aurum, nisi uenenum gloriæ & princeps, ut ille ait, omnium malorum? hinc perditiones, adulteria, homicidia, & qd deniq; nõ: ut recte mammonam iniquitatis appellarit dñs. unde tñ amicos nobis cõparare iubemur, pauperes nimirum & medicos, ut ait Glossa, qui nos aliqui de mortuos recipiunt in æterna tabernacula. **Regnum** itaq; cælorum iubemur petri ex pauperibus. **Et** nõne admirabilis & in oib; stupendum est

deus noster, qui tanta sapientia instituit omnia, ut qui in mundo sunt contempnissimi, maximum omnium pretium & thesaurum uendere possint, uitam æternam: illo **Matth. 5.** rum siquidem est regnum cælorum, quod ab eis mercari debemus, & nostra sponte largiter dare elemosynam: id est ut faciamus, uel unum hoc magis nos urgere debet, quod paratus est deus tam abundanter illud nobis rependere.

Vos itaque charissimi date pauperibus, & retribuet uobis dominus mensuram, quam supra in homilibus de elemosyna audistis. Non id tamē ex bonis male partis quam tentet facere, sicut ex **Augustino** iam supra admo- **De uer- bis dñi.** nuimus. nemo enim ex usura, rapina aut furto elemosynam facere debet, sicut scriptum est: **Exodi. 34.** Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui uicitimat filium in conspectu patris sui. & **Salomon** ait, Sacrificia impiorum abominatio sunt coram deo, quæ ex peccato offeruntur. Quomodo autem res male partæ sint restituenda, ibi consilio utere docti & boni confessoris, neque assentatorem hic tibi quære, qui dicat placentia, sed ueritatem ipsam. Cerrum est enim, quod post **Gerisonem** ma- **Gerison.** gni nominis **Kayser** spargius uelut ex oraculo dicit: Plures pereunt avaritia, quam uel gula uel luxuria.

Auditis itaque hic ipsam **CHRISTI** uocem, eam sequimini. cōparemus amicos nobis pauperes, ut uicissim nos recipiant in æterna tabernacula. deo enim fœnorat, quisquis miseratur pauperis. Huiusmodi amicos uobis complures **Proue. 19.** facite, quoniam in die nouissimo uocabit dominus iustos ad regnum cælorum, eo quod semelicum cibârint, & sitientem potârunt: & tunc illi nos recipiēt in æterna tabernacula.

Quod omnibus nobis pre- stare dignetur deus, Amen.